

S. Thomam in quæst. 6. de malo, quæ est de electione, et quæst. 24. de veritate (quæ est de libero arbitrio art. 4.) Item Gregorium, Gabrielem, et alios in 2. sententiar. distinct. 25.

Altera sententia est quorundam Catholicorum, qui affirmant certum esse ex doctrina fidei, hominem esse liberi arbitrii, tamen id non posse naturali ratione convinci. Ita docuit Joannes Buridanus in tertio libro Ethicorum, quæst. 1. et Andreas de Castro in primo sententiarum, distinct. 45. quem citat Ruardus Tapperus in explicatione articuli 7. Lovaniensium.

Tertia sententia, sive potius hæresis, manifesta est Laurentii Vallæ in lib. de libero arbitrio, Martini Bucerii in lib. de Concordia, articulo de libero arbitrio, et Joannis Calvini lib. 1. Institutionum cap. 16. § 8. et lib. II. cap. 4. §. 6. qui docent, non habere hominem, in statu naturæ corruptæ, liberum arbitrium ulla in re, ac ne in indifferentibus quidem et civilibus. Quocirca idem Calvinus in lib. II. Institutionem cap. 2. §. 4. dicit, optare se, ut tollatur omnino de medio nomen ipsum liberi arbitrii. Eadem fuit sententia multorum veterum hæreticorum, quos cap. 7. opportuniore loco nominabimus. Eadem etiam sententia fuerat initio Lutheranismi, ipsius Martini Lutheri, et ejus Achatii Philippi Melancthonis, sed uterque aperissime retractavit. Quos si Bucerus et Calvinus imitari voluissent, nulla cum hæreticis hujus temporis de libero arbitrio in actionibus civilibus controversia remaneret.

Utile autem erit annotare hanc retractationem, et contradictionem Lutheri et Melancthonis, ut appareat eorum inconstantia in re omnium maxima. Nam Lutherus in assertionem articuli 36. summam rerum suarum in doctrina de arbitrii servitute constituit. Sic enim ait: « In cæteris articulis de Papatu, de Conciliis, de Indulgentiis, aliisque non necessariis nugis, ferenda est levitas et stultitia Papæ et suorum, sed in hoc articulo, de servitute arbitrii, qui omnium optimus, et rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire. » Et in libro adversus Regem Anglorum scripsit, adeo se certum esse de sua doctrina, ut si quis aliter doceret, aut damnaret, quæ ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio, et similibus; is damnaret Deum, et oporteret eum manere filium gehennæ.

Videamus igitur constantiam ejus, in sum-

ma doctrinæ, de qua certissimum se esse jactabat. In assert. articuli 36. ita loquitur: « Liberum arbitrium est figmentum in rebus, et titulus sine re, quia nulli est in manu quippiam cogitare boni vel mali, sed omnia (ut Wiclefi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta eveniunt. Quod et Poeta voluit, quando dixit, cæta stant omnia lege. Et Christus Matthæi VI: Foliolum arboris non cadet in terram sine patre vestro. Et infra: Non est dubium Satana magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium. » Hic aperte Lutherus simpliciter tollit liberum arbitrium omnibus in rebus, juxta hæresim Wiclefi, et ideo ipsum etiam nomen liberi arbitrii damnat. Ex quo factum est, ut liberum adversus Erasmum inscripserit de servo arbitrio.

Sed audi nunc retractationem, quæ extat in libro ejus de Visitatione Saxonica, quem postea scripsit, sic enim loquitur in articulo de libero arbitrio: « Multi de libero arbitrio indiscrete loquuntur. Ideo hanc brevem informationem adscripsimus. Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum vel omittendum opera externa per legem, et pœnas adactus. Quapropter potest et sæcularem probitatem, et bona opera facere, ex propria virtute, a Deo ad hæc data et obtenta. Paulus enim vocat eam justitiam carnis, hoc est, quam caro aut homo ex propria virtute facit. Si ergo operatur homo ex propria virtute ullam justitiam, utique habet electionem et libertatem, et fugiendi malum, et faciendi bonum. »

Item ibidem: « Voluntas humana est vis libera, ut facere possit justitiam carnis, seu justitiam civilem, ubi lege et vi agitur, ut non furari, non occidere; non mœchari etc. » Hæc ille, ubi per justitiam carnis intelligit opera bona externa, non tamen bona simpliciter. Ac per hoc docet, posse hominem per liberum arbitrium facere et non facere quæ lex jubet, non tamen peccare, aut non peccare. Itaque admittit arbitrii libertatem in actionibus civilibus et externis, quam negaverat in assert. art. 36. et nomen liberi arbitrii recipit, quod a Satana magistro in Ecclesiam venisse antea dixerat. Ita damnat ipse articulum suum optimum, et summam rerum suarum, et, si verum sit quod scripsit in libro adversus Regem Anglorum, Deum damnavit, et oportet eum manere filium gehennæ.

Veniamus ad Philippum. Is in locis com-

munibus, quos edidit anno 1521. Primo, detestatur nomen liberi arbitrii: « Usurpata est, inquit, vox liberi arbitrii a divinis litteris, a sensu et judicio spiritus alienissima. Ad ditum est e Platonis philosophia vocabulum rationis æque perniciosum. »

Secundo, defendit Vallam contra Eckium his verbis: « Vallam, ait Eckius, quod Scholarum sententiam de libero arbitrio confutavit, plura voluisse scire, quam didicisset, scilicet egregie festinus nugator. »

Tertio, reprehendit philosophiam naturalem et rationem. « Hoc loco, inquit, prorsus Christiana doctrina a philosophia, et humana ratione dissentit. »

Quarto, tollit omnem libertatem, et contingentiam: « Est, inquit, libertas posse agere, aut non agere, posse sic, aut aliter agere. Itaque in quæstionem vocatur, sitne libera voluntas, et quatenus libera sit. Responsio, quandoquidem omnia quæ eveniunt, necessario juxta divinam prædestinationem eveniunt, nulla est arbitrii libertas. Quid igitur inquit, nulla ne est in rebus contingentia? nihil casus? nihil fortuna? Omnia necessario evenire Scripturæ docent. Et si videatur tibi in rebus humanis esse contingentia, judicio rationis hic imperandum est. »

Quinto, his addit in comment. ad cap. 8. epist. ad Romanos. Non solum opera indifferentia, sed etiam peccata in nobis a Deo fieri. « Sicut, inquit, fatemur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse, sive quæ media vocantur, ut comedere, libere; sive quæ mala sunt, ut Davidis adulterium, Manlii severitatem. Constat enim ex cap. I. ad Romanos, Deum omnia facere non permissive, sed potenter (ut Augustini verbo utamur (id est, ut sit ejus propria Judæ proditione, sicut Pauli vocatio. » Et infra: « Ergo non est cur frigidum glossema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere. » Hæc ille.

Contradicentia his omnibus habentur in iisdem locis communibus posteriori tempore editis, tum in loco de causa peccati, tum in loco de libero arbitrio. Primo siquidem, recipit nomen liberi arbitrii et rationis, quod ante detestabatur. « Monendi sunt, inquit, rudiores, ut a physicis sumant distinctiones et appellationes partium hominis. In homine est pars cognoscens et judicans, quæ vocatur mens, vel intellectus, vel ratio. Altera pars appetens vocatur voluntas; vocatur autem

liberum arbitrium mens et voluntas conjuncta. »

Secundo, reprehendit Vallam, quem ante defenderat: « Valla, inquit, et plerique alii, non recte detrahunt voluntati hominis libertatem, quia fiant omnia decernente Deo. » Item in epitome moralis Philosophiæ: « Stoicas, inquit, illas de fato, seu Vallæ absurdas imaginationes, quæ propter divinam gubernationem adimunt libertatem voluntati, fugiamus. »

Tertio, amplectitur philosophorum sententias, quas antea Scripturis contrarias esse dicebat: « Hæc, inquit, est libertas voluntatis, quam philosophi recte tribuunt homini. » Item: « Honestius », inquit, « Plato docuit. » Et in Epitome moralis philosophiæ, « Est, inquit, prudentissime ab Aristotele addita rationis descriptio. »

Quarto, admittit, esse in rebus contingentiam et libertatem, quam simpliciter ante negaverat: « Concedendum est, inquit, quod Scriptura Apostolica tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam diligendi ea, quæ sunt subjecta rationi. Et infra: Hæc Manichæa imaginatio horribile mendacium est, et ab hoc errore mentes abducendæ sunt et docendæ, agere aliquid liberum arbitrium. »

Quinto negat, Deum esse causam peccati quod tam impudenter antea assererat: « Est, inquit, hæc et pia sententia, utraque manu, et verius toto pectore tenenda, Deum non esse causam peccati, nec velle peccatum. Et infra: Nec figuræ illæ verborum in sermone hebraico pugnant cum hac sententia, Indurabo cor Pharaonis, et similes. Certum est enim hebraica phrasi significare permissionem, non efficacem voluntatem. » Ex his enim facile potest intelligi quam sint adversarii inconstantes in rebus etiam gravissimis. Sed his omissis ad confirmandam veritatem accedamus.

## CAPUT VI.

*Non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi adversariorum, qui nomen liberi arbitrii, in nomen servi arbitrii mutaverunt.*

Ut igitur vera et Catholica sententia confirmetur, tria sunt ordine probanda. Primo, non posse adversarios ullo colore defendi ab



insigni temeritate, quod nomen liberi arbitrii tantopere detestentur, et in nomen servi arbitrii commutare tentaverint. Secundo, ex doctrina fidei manifeste deduci, hominem, etiam post lapsum, libero arbitrio præditum esse, saltem in actionibus civilibus, et externis. Tertio, id ipsum certum et evidens esse in vera philosophia et naturali lumine rationis.

Quod attinet ad primum, tribus argumentis probare possumus, adversarios non sine maxima temeritate nomen liberi arbitrii abolere, vel in nomen servi arbitrii commutare voluisse. Primum enim, serio nos admonet Apostolus Paulus in priore epist. ad Timoth. cap. 6. ut fugiamus vocum novitates. At nomen servi arbitrii in Ecclesia Catholica, per totos mille quingentos annos numquam fuit auditum, cum tamen ab ipso principio nascentis fidei, ac deinceps variis ætatibus numquam defuerint hæretici, qui liberum arbitrium, vel nimium extulerint, vel etiam contra nimium depresserint.

Deinde, omnes omnino scriptores Ecclesiastici, qui singulis ætatibus fidem Catholicam propugnauerunt, disertis verbis liberum arbitrium docuerunt. Neque opus erit magno labore testimonia Patrum conquirere. Nam et obvia sunt, et adversarii id non negant.

Hæc enim sunt verba Calvini, quem in hac palestra præcipuum adversarium habemus lib. 2. Institutionum, cap. 2. § 4. « Semper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit; Græcos vero non pudit arrogantius usurpare vocabulum, siquidem ἀρεξουσιον dixerunt. » Quanta igitur temeritas est, nunc demum abolere velle vocabulum, quod ipse fateris apud omnes scriptores, tum Latinos, tum Græcos semper in usu fuisse?

Denique vel hoc nomen est bonum vel malum; verum aut falsum; utile vel noxium. Si bonum, verum, utile; certe etiam retinendum: si malum, falsum, noxium et (ut Lutherus loquitur) a Satana magistro in Ecclesiam invectum; cum satis constet ab initio Ecclesiæ cœpisse, et ad nos usque propagatum, sequitur Ecclesiam fuisse semper valde infirmam, quippe quæ neque initio prohibere potuerit, quo minus perniciosum hoc vocabulum a Satana inveheretur, neque postea per totos mille quingentos annos illud explodere, aut abolere valuerit. Et ubi est illud: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam?*

(1) Num. XXX. 14.

*et, Ecclesia est columna et firmamentum veritatis.*

Respondebit Calvinus, nomen liberi arbitrii esse ambiguum: et siquidem liberum dicitur arbitrium a coactione, nomen esse bonum et verum; si a necessitate, perniciosum et falsum. Et quoniam hoc tempore a plerisque accipitur pro libero a necessitate, ideo merito explodendum videri, ne propter ambiguitatem suam fidelibus noceat. At falsum est, nomen hoc esse ambiguum. Nam (ut in libro superiore ostendimus) nullo modo potest intelligi liberum arbitrium, si non sit liberum a necessitate, et non hoc tempore solum, sed omnibus sæculis acceptum est hoc vocabulum pro facultate animi indeterminata, et libera ad utramque partem, ac per hoc libera a necessitate. Id quod testimoniis Scripturæ et Patrum, et rationibus variis confirmavimus.

At, inquit, hoc vocabulum sumptum est a philosophis, et in divinis litteris nusquam legitur. A quibus igitur sumendum erat? a sutoribus ne et cementariis? et si Scriptura divina voces a poetis accipit, ut Arcturi, Orionis, Pleiadum, quæ leguntur in Job cap. xxxvii. et xxxviii. et in Amos cap. 5. quid mirum est, si Ecclesia voces aliquas accipiat a philosophis? et quamvis in divinis litteris non sint hæc duæ voces simul junctæ quoad sonum, liberum arbitrium, tamen invenitur altera cum alterius periphrasi, ut Numeri xxx. *In arbitrio viri erit, ut faciat vel non faciat* (1). Quid enim est, in arbitrio, ut faciat, vel non faciat nisi in arbitrio libero ad utrumlibet? sic etiam vox illa Græca, ἀρεξουσιον, quam Calvinus tantopere detestatur, non invenitur fortasse in Scripturis, tamen invenitur pars una cum alterius partis periphrasi, ut I. Cor. vii. *ἕξουσιαν ἔχει περὶ τοῦ ἑδίου θελήματος*; id est, potestatem habens propriæ voluntatis. Quid enim est potestas propriæ voluntatis, nisi ἀρεξουσιον.

Adde ultimo, non esse mirandum, si hæc voces crebrius a Patribus, quam a Scripturis sanctis, vel etiamsi solum a Patribus usurpantur, quoniam hæreses, quæ liberum arbitrium oppugnant, post conditas Scripturas sunt exortæ, et ipsæ sunt, quæ has voces frequentare vel excogitare coegerunt, quemadmodum in aliis similibus, ut Trinitatis *ἁμοουσίου Θεοτόκου* factum esse, ipsi etiam adversarii confitentur,

## CAPUT VII.

*Secundum fidem Catholicam hominem esse liberi arbitrii in rebus civilibus, probatur ex divinis litteris.*

Jam vero liberi arbitrii hominem esse in rebus civilibus (quod secundo loco propositum fuerat) secundum doctrinam fidei, probatur ex divinis litteris.

Ac primum, accedant ea testimonia, quæ tribuunt homini post lapsum, electionem diversarum rerum. Neque enim intelligi potest veræ electionis potestas, sine vera arbitrii libertate. Nam ut in I. libro demonstravimus, electio est actus maxime proprius liberi arbitrii. Sunt igitur hæc testimonia. Numeri xxx. *In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat* (1). Josue xxiv. *Optio vobis datur, eligite hodie quod vobis placet*. II Reg. xxiv. *Trium tibi datur optio, elige unum quod voluerit ex his*. III Reg. iii. *Postula quod vis, ut dem tibi*. Dan. xiii. *Augustiæ mihi sunt undique, et quid eligam ignoro* (1).

Secundo, huc pertinent ea testimonia, quæ docent, hominem aliqua posse facere, quæ non facit: et contra, facere aliqua, quæ potuisset non facere. Hinc enim apertissime patet, liberum esse in ejusmodi homine, ut pro arbitrio faciat vel non faciat. III. Regum. iii. *Quia postulasti verbum hoc, et non postulasti divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti sapientiam, etc.* (2). Potuit igitur Salomon postulare divitias, et non postulare sapientiam, et tamen non divitias, sed sapientiam postulavit, Ecclesiast. xxxi. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus etc.* I. Cor. ix. *Non sum liber? non sum Apostolus?* (3) etc. Quo loco docet Apostolus, potuisse se circumducere sororem, et ab Ecclesiis sumptus accipere, sed neutrum facere voluisse. Act. v. *Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate* (4)? hoc est, Nonne poterat (Anania) agrum tuum non vendere? et posteaquam vendideras, nonne poterat pretium tibi retinere? quis te agrum vendere aut Deo pretium offerre coegit? poterat igitur vendere et non vendere, et offerre et non offerre.

Neque satisfaceret, qui responderet, in

hoc loco, et superiore agi de libertate a præcepto, non de libertate a naturali necessitate. Nam libertas a præcepto includit libertatem a naturali necessitate; alioqui inepta et ridicula essent præcepta, si is, cui præcipitur, non esset liber a naturali necessitate. Nam si Ananias non potuisset non vendere agrum, aut pretium illud Apostolis non offerre, sed necessario et agrum vendidisset, et pretium Apostolis obtulisset, inepte dixisset, B. Petrus, Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate?

Tertio, accedant illa testimonia quæ conditionem continent. Ea siquidem virtutem includunt liberam oppositorum optionem Isaïæ I. *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis*. Matth. xix. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Ibidem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes*. Luc. ix. *Si quis vult post me venire, abneget se ipsum etc.* (5).

Quarto, prædictis locis adjungi possunt ea, quæ continent reprehensionem cum interrogatione. Sequitur enim inde potuisse hominem non facere id, propter quod reprehenditur. Genes. iii. mulieri dicitur: *Quare hoc fecisti?* serpenti vero, qui expers est rationis et libertatis, non dicitur: *Quare hoc fecisti, sed, Quia hoc fecisti*. Genes. iv. *Quare iratus es? et quare concidit vultus tuus?* Potuit igitur et Eva illud non facere, quod fecit. Et Cain non irasci, neque vultum præ mœrore dejicere. Neque enim ovi dicitur, *Quare fugis lupum?* non enim potest non fugere lupum. Neque lupo dicitur: *Quare agnum devoras?* quia non potest aliud facere.

Quinto, adjici possunt omnia testimonia, quæ continent laudes sanctorum Patrum, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Mosis, Job, David, Tobia, Prophetarum denique omnium. Item illa, quæ continent præcepta, consilia, cohortationes, qualia sunt Proverbia Salomonis, liber Ecclesiastici, magna pars Psalmorum: Prophetarum, Evangeliorum, Epistolarum Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Judæ. Hæc enim omnia significant, hominem esse liberi arbitrii, ut S. Augustinus, colligit in libro de gratia et libero arbitrio cap. 2.

Postremo, addantur ea testimonia, quæ probant, primum hominem ante lapsum præditum fuisse libero arbitrio; quale est il-

(1) Jos. XXIV, 15; II Reg. XXIV, 42; III Reg. III, 5; Dan. XIII, 22.—(2) III Reg. III, 41.—(3) Eccl. XXXI, 10; I Corin. IV, 4.—(4) Act. V, 4.—(5) Isai. I, 19; Matth. XIX, 17; ibid. XIX, 21; Luc. IX, 23.



lud Eccles. xv. *Deus creavit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui etc.* (1). Nam ipse etiam Calvinus propter hunc locum fatetur, primum hominem ante lapsum libero arbitrio præditum fuisse lib. i. Instit. cap. 15. §. 8. et lib. ii. cap. 5. §. 18. Quamvis enim adversarii aliam esse velint rationem hominis ante lapsum et post lapsum, quod attinet ad arbitrii libertatem: nos tamen facile probare possumus etiam post lapsum hominem esse liberi arbitrii, si fuit ante lapsum. Nam tota ratio Calvinus (ut postea videbimus) cur homo careat libero arbitrio, est in eo posita, quod libertas hominis pugnet cum providentia Dei. At providentia Dei non inceptit a lapsu hominis, sed fuit etiam antea, cur igitur impediatur post lapsum hominis a libero arbitrio, si ante lapsum non impediatur?

Quid, quod ex hoc ipso, quod Deus providentiam rerum omnium habet, sequitur, ut homo libertate fruatur arbitrii? Nam providentiæ divinæ illud est proprium, non destruere, sed conservare naturas. Disponit enim suaviter omnia, ut legimus Sapient. 8. et, ut inde colligit S. August. lib. vii. de Civitate Dei cap. 30. sic administrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat. Itaque cum natura rationalis libertatem arbitrii postulet, eamque ab initio a conditore perceperit: sic hominem divina providentia gubernat et regit, ut liberam ejus electionem nullo modo impediatur.

Atque hoc est quod voluerunt Origenes lib. iii. de principiis cap. 3. Gregorius Nysenus lib. vii. de Philosophia cap. 1. lib. viii. cap. ult. Theodoretus in epitome divinorum decretorum cap. de Providentia, et Joan. Damascenus lib. ii. de fide cap. 29. cum scripserunt, liberam hominum actiones non fieri a providentiâ, sed ab hominum ratione et consilio. Non enim significare voluerunt, providentiam Dei non se extendere ad omnia singularia, cum hoc ibidem fateantur, et probent, sed non determinari ad unum actiones hominum, neque necessitatem eis a providentia adferri; quemadmodum determinantur ea, quæ libera non sunt, eisque necessitas quædam, ut non possint alio modo fieri. Sed de his plura dicentur in responsione ad argumenta.

(1) Eccl. XV. 14.

### CAPUT VIII.

*Probatur idem ex traditione veterum Patrum.*

Quod ex Scripturis probavimus, hominem etiam post lapsum liberi esse arbitrii in actionibus civilibus, et externis, idem nunc probare aggredimur ex traditione, et testimoniis veterum Patrum. Ac primum notabimus testimonia eorum Patrum, qui pro hæreticis habuerunt eos, qui liberum negabant arbitrium. Deinde, singulas eorum sententias adferemus.

Fuerunt igitur permulti, propterea quod liberum negarent, inter hæreticos ab antiquis Patribus numerati. Primis enim Ecclesiæ temporibus Clemens lib. iii. Recognitionum, notavit Simonem Magum hæreseos, quod affirmaret hominem carere libero arbitrio. Deinde, inter hæreses Bardesanis, qui vixit circa annum Domini 170. ponit hanc ipsam de libero arbitrio S. Augustinus lib. de hæres. cap. 35. Inter errores Manichæorum, quorum auctor Manes centum annis Bardesane posterior fuit, numerat S. Hieronymus in præfatione dialogorum adversus Pelagianos, quod tolleretur ab eis liberum voluntatis arbitrium. Eadem hæresis fuit etiam Priscilliani, qui vixit circa annum Domini 390. quam refert S. Augustinus in lib. de hæres. cap. 70. damnat autem S. Leo in epist. 91. ad Turbium, et Concilium Braconense primum, can. 40.

Hunc veterum hæreticorum errorem renovavit postmodum Petrus Abailardus, qui propterea tum ab Innocentio Papa II. tum a Concilio Senonensi damnatus fuit, ut cognosci potest ex epist. S. Bernardi 194. et ex lib. iii. vitæ ejusdem Bernardi cap. 5. Eundem postea renovavit Joan. Wiclefus, teste Thoma Waldensi tom. 1. lib. 1. art. 1. cap. 28. et iterum errorem eundem damnavit Concilium Constantiense sess. 8. Cum igitur toties hic error a Patribus notatus, a Pontificibus et Conciliis damnatus fuerit; certe mirari non debent hujus temporis novatores, si eos inter hæreticos numeravimus. Eorumque sententias Leo X. et consequentes Pontifices, necnon Tridentinum Concilium Œcumenicum cum aliis multis diversarum provinciarum Synodis damnaverunt.

At, inquit, veteres hæretici, Simon Magus, Bardesanes, Manichæus Priscillianus, non simpliciter negabant liberum arbitrium, sed vel inducebant duo principia coæterna, unum bonum, alterum malum; vel fato, et stellis homines alligabant: unde sequebatur, ut peccata hominum, vel principio illi malo, vel stellis, non autem ipsis hominibus tribuerentur. Sed quid hoc ad causam? veteres enim Patres, non solum reprehendunt in antiquis illis hæreticis causam, unde impellebantur ad negandum liberum arbitrium, sed etiam disertis verbis id notant, quod negarent liberum arbitrium.

Quin etiam unum ex argumentis, quibus utebantur ad refellenda duo principia, sive duas naturas, et fata illa stellarum, erat, quia sequebatur homines carere libero arbitrio, quod semper fuit in Ecclesia dogma certissimum. Certe S. Hieronymus in præfat. dialogor. adver. Pelagianos, dum ita loquitur: « Manichæorum est, hominum damnare naturam, et liberum auferre arbitrium. »

Disertis verbis duos Manichæorum distinxit, atque damnavit errores; quorum alterum ad se pertinere, quicquid de altero sit, Calvinus et Bucerus, eorumque Sectarii, negare non possunt. Sed veniamus ad ipsas Patrum sententias breviter recitandas.

### CAPUT IX.

*Adferuntur testimonia ipsorum Patrum.*

Sanctus Irenæus lib. iv. cap. 71. « Consilium, inquit, bonum dat omnibus, posuit autem Deus in homine potestatem electionis, quemadmodum et in Angelis. » Et cap. 72. « Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et multo prius ipse Dominus consilium dare, quæ quidem facere, a quibus vero abstinere? »

Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, pag. 65. « Sed, inquit, nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa essent, si anima non habeat liberam potestatem. »

Origenes lib. ii. contra Celsum pag. 780. « Videamus, inquit, quid Celsus dicat postea. Hic, inquit, cum Deus esset, prædixit, et omnino oportebat fieri quod prædixerat. Deus ergo suos discipulos, et Prophetas, cum

quibus cibum et potum sumebat, eo necessitatis adduxit, ut contra jus ac pietatem facerent. Respondebimus et ad hæc, quando jubes, ut ne ipsa quidem argumenta præteream, quæ mihi videntur frivola. Celsus putat, quod aliquis præsciis prædixit, ideo fieri, quia prædictum est: nos vero hoc non concedentes, dicimus, non prædictorem causam esse futuri, sed futurum illud quod omnino eventurum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori causam prædicendi dedisse, totum enim in præcognitione vasisest, cum alterutrum fieri possit, fore hoc alterum, non dicimus præcognitorem adimere possibilitatem, ut vel fiat, vel non.

Quibus verbis Origenes diluit objectionem Celsi, qui probare conatus fuerat, Christum prædicendo prodictionem Judæ, attulisse necessitatem ipsi Judæ, ut facinus illud prodictionis committeret; quia necesse erat fieri, quod Christus Deus futurum esse prædixerat. Respondet igitur Origenes, prædictionem non adferre necessitatem, quia non ideo res fit, quia præcognita est, sed ideo præcognita est, quia futura erat. Quare paulo infra docet, Judam sic prodidisse Dominum, ut potuerit non prodere, atque ita concordat præscientiam cum contingentia et libertate. Idem etiam Origenes lib. 3. de principiis cap. 1. copiose probat, hominem esse liberi arbitrii, et respondet ad omnia argumenta, quæ nunc adversarii proferunt, quæque ab antiquis hæreticis proferebantur.

Eusebius Cæsariensis lib. vi. de præparat. Evangel. cap. v. probat optimis argumentis, libertatem a necessitate non pugnare cum providentiâ: « Nam, inquit, si eventura omnino sunt prospera, vel adversa unicuique homini, estque necesse hæc me agere, et te illa, quid oportet cura, laboreque confici? » Et infra: « Quomodo, inquit, cum sentiamus nostra nos appetitione moveri, non omnino amentissimum erit ab exteriori quadam vi, quasi animi expertes moveri nos credere? sic enim libera voluntate alia fugimus, alia sequimur, ut quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, sed reipsa comprehendimus: ita a nostro ipsorum consilio, aut ad fugiendum, aut ad sequendum moveri nos profecto sentiamus. Quas ob res rationalis naturæ libertas jure negari non potest. »

S. Athanasius in serm. de passione et cruce Domini, proposita questione, an quæ